

nunt, quod si pestis in aliquo loco ita invaluit, ut talis locus jam sit bannisatus, possit a quovis etiam peste non infecto valide fieri testamentum coram quinque testibus: si vero locus bannisatus adhuc non sit, possint etiam personæ peste infectæ, non item aliæ a peste liberæ coram quinque testibus facere testamentum. Addunt ibidem, quod necessarium non sit, ut testes intrent cubiculum, ubi peste infectus decumbit, sed sufficiat, si eum a longe videant, et audiant: quod idem de jure communi, tempore pestis sufficere fatentur doctores communiter.

§ IX.

DE PRIVILEGIATIS TESTAMENTIS PUBLICIS, VIDELICET, PRINCIPI OBLATIS, SEU CORAM PRINCIPE FACTIS: ET AD ACTA DATIS, VEL CORAM ACTIS FACTIS.

Hactenus egimus de testamentis privatis, sequitur modo de testamentis publicis, id est, fide et auctoritate publica principis nempe, vel iudicis juxta dicta n. 5. Hinc

233. *Testamentum principi oblatum, seu coram eo factum quid?* — Queritur I. Quid sit testamentum principi oblatum, seu coram principe factum? Resp. I. Esse illud, quod testator prius jam absque ordinaria juris solemnitate ad testamenta requisitis factum, supremo principi, vel ejus nomine deputatis offert; vel coram eisdem absque ordinaria solemnitate facit, rogans, ut id auctoritate principis sustineatur. Ita in re communis, arg. l. *Omnium*. 19. c. h. t. Licet enim ibidem de solo imperatore, et testamentis eidem oblatis, vel coram eo factis fiat mentio, tamen hanc legis dispositionem Tuschus, litt. T. conclus. 122. n. 67. et doctores communiter ad omnes reges, et principes superiores non agnoscentes extendunt. Imo sub eadem König, h. t. n. 5; Millesus, de *Principibus et stat. imper.* cap. xxviii. n. 1, et alii adjuvante consuetudine; etiam supremos R. 1. principes, licet superiores, nempe imperatorem habeant, intelligi volunt, ut proin testamentum Cæsari et principi supremo cuiunque oblatum, vel coram eo factum ejusdem naturæ ac privilegii sit, communiterque testamentum principi oblatum, vel coram eo factum, vel precibus insertum dicitur.

234. *Potest etiam coram deputatis a principe fieri, vel eis offerri.* — Cum quibus idem est

testamentum, quod non immediate ipsi principi, sed ejusdem nomine deputatis, secretariis v. g. consiliaris vel cancellariis offertur, coram eisdem erigitur; prout contingere solet, si testator testamentum principi offerre volens, domi infirmus decumbit, vel est unus ex plebeis, ad quos principem personaliter venire, vel illos ad præsentiam principis admittere, non convenit, König, h. t. n. 5. citans clarissimum dominum a Someting, illustrissimus dominus Schmidt, ad tit. XXXIV. a. 10. n. 15. Ratio et fundamentum infra n. 260. patet, ubi dicemus, quod in testamentis ad acta datis, etiam iudices inferiores, v. g. magistratus, possint aliquos deputare, quid testamentum ad acta recipiant, vel coram quibus testamentum testator codeat. Et hinc in definitione testamenti principi oblatis notanter dicitur, « quod supremo principi, vel ejus nomine deputatis offertur, » etc.

235 et 236. *Testamentum principi oblatum proprie est aliud quam testamentum coram principe factum.* — Proponitur autem sub eodem questione testamentum « principi oblatum, et coram eodem factum; » eo quod gaudeat utrumque eodem privilegio, indeque plerumque confundatur et promiscue sumatur; licet aliquantulum inter ea diversitas sit, ita ut proprie loquendo, testamentum principi oblatum fiat, sit, et dicatur, quando testator absque solemnitate voluntatem suam prius in scripturam redigit, eamque sic scriptam et factam principi offert, rogans, ut illam sua auctoritate sustineat: vel ut magis conformiter l. *Omnium*. 19. c. h. t. loquamur, est, et fit, quando testator preces, et supplicationem in scriptis facit, eique voluntatem suam ultimam inserit, ac principi offert, rogando eundem, ut eam sua auctoritate manuteneat; quod propterea etiam testamentum « precibus insertum » subinde vocari solet, arg. cit. l. XIX. c. h. t. Item « scriptum, » vel « in scriptis principi oblatum. »

Testamentum vero coram principe factum proprie fit, est, et dicitur, quando testator voluntatem suam ultimam coram principe, vel deputatis, ab eo oretenus declarat, et manifestat, rogando, ut principis auctoritate sustineatur: siquidem non solum in scriptis jam factum, principi offerri, sed etiam oretenus coram eodem fieri posse testamentum absque omni solemnitate, docent communiter doctores habetque praxis, et consuetudo communiter recepta.

237. *Testamentum principi oblatum, vel coram eo factum valet absque omni solemnitate.* — Queritur II. Qualiter privilegiatum sit? et quomodo fieri possit, ac debeat testamentum principi oblatum, vel coram eo factum? Resp. I. Ad « testamentum principi oblatum, seu coram principe factum » penitus nulla requiritur juris civilis solemnitas; potestque fieri absque omni teste; dummodo alias constet, et probari possit, quod revera principi oblatum, vel coram eo factum sit testamentum; Covarruvias, p. 2; Rub., de *Testam.* n. 5; Tuschus, l. t. concl. 122, n. 67; Berlich, p. 3. concl. 4, n. 2 et 3, ubi ait ita sentire omnes doctores, Jason, in l. *Omnium*, 19. c. h. t. in princ., Mascardus, concl. 1359, n. 47; Layman, lib. III. tract. IV. cap. II. n. 15, arg. l. *Omnium*. c. h. t. ubi dicitur, quod æque securus id testator, sive auribus privatorum (adhibita solemnitate ordinaria) sive coram principe testetur, ibi: « Qui nobis mediis, et toto jure (quod in nostris est scriptis constitutum) teste succedit. » Ratio est, quia principis auctoritas omnem solemnitatem superat. Accedit, quod princeps nunquam solus, sed semper nobilibus, aliisque probatis personis stipatus esse censeatur, cit. l. *Omnium*. 19. c. h. t. ibi: « Omnium testamentorum solemnitatem superare videtur, quod insertum mera fide precibus, inter tot nobiles probatasque personas, etiam conscientiam principis tenet. »

238. *Dummodo constet, et probari possit, quod sit oblatum.* — Dicitur autem notanter: « Dummodo legitime constet, et probari possit, quod revera principi oblatum, vel coram eo factum sit testamentum. » arg. cit. l. *Omnium*. 19. ad fin. c. h. t. ibi: « Nec institutus hæres pertimescat, cum oblatis preces secundum voluntatem defuncti idoneis testibus possit approbare; » consequenter a sensu contrario timere debet, si quod oblatum sit, probare nequit hæres. Ratio est, quia, licet principis auctoritas tollat, juris solemnitatem, ita ut ea necessaria non sit ad condendum testamentum principi offerendum, vel coram eo faciendum; tamen non tollit probationem veritatis, seu facti; seu non facit, quominus rite probari debeat, quando dubium emergit, an hoc vel illud testamentum principi revera oblatum, vel coram eo factum sit, nec ne. Quale dubium facile oriri potest; casu quo princeps ante testatorem moritur, vel ratione ac intellecta privatur, ita ut ipse testificari nequeat, sibi obla-

tum, vel coram se factum esse testamentum.

239. *Ad quod probandum serviunt duo testes.* — Hinc Clarus, cit. q. 36. n. 7; Layman, loc. cit.; Bastolus, in cit. l. *Omnium*. 19. c. h. t. et communis aliorum docent, quod si quis coram principe oretenus testamentum faciat, duos testes adhibere debeat ad probandum, quod suam voluntatem coram principe manifestarit. Quod idem dic, si testamentum scriptum principi offeratur; nisi defectu testium alio ad probandum sufficienti medio suppleatur, prout suppleri potest. Si princeps per secretarium intimum, vel alium quemdam in exteriori facie annotari faciat, annum, diem, et locum, quo testamentum principi oblatum, et a principe receptum sit, ipseque princeps manu propria subscribat, ac proprium sigillum apponat, uti teste Schmidt, tit. XXXIV. a. 10, n. 17, fieri solet in Bavaria vel si princeps dat *Recepisse*, id est, attestationem, quod testamentum sibi oblatum receperit.

240. *Potest principi offerri testamentum clausum.* — Illud tamen cum Berlich, p. 3, concl. 4, n. 3; Schmidt, loc. cit. 15. et communis aliorum contra Herman. Vult. specialiter notandum, quod si testator in scriptis principi, vel ejus nomine deputatis suum offerat testamentum, necesse non sit ut principi vel deputatis ab eo prælegat, et manifestet tenorem testamenti, sed possit illud obsignatum et clausum offerre, dicendo. In hac clausa charta continetur mea voluntas ultima; rogo proin, ut principis auctoritate sustineatur, arg. l. *Testamenta*. 18. et l. *Consulta divalia*. 237, c. h. t. ubi dicitur, quod testamentum ad acta datum (quod ejusdem cum testamento principi oblato privilegii est) non possit, nisi a certis ibidem denominatis aperiri: ergo supponitur, quod clausum sit oblatum; consequenter clausum offerri possit.

241. *Solvitur objectio.* — Nec dicas cum Vult. hoc esse contra l. *Omnium*. 19. c. h. t. ubi ad valorem hujus testamenti requiri videtur, ut testator apud principem, vel apud acta, (si ad acta tradit) voluntatem suam publicet, et manifestet. Resp. enim testatorem hoc ipso, quod coram principe vel deputatis ejus dicat, in charta, quam clausam exhibet, et offert, contineri suam voluntatem, manifestare suam voluntatem saltem implicite; quod sufficit, cum lex majorem et explicitam manifestationem non requirat. Imo quod dicta l. *Omnium*. 19. c. h. t. de implicita tantum manifestatione intelligenda sit, patet

ex praxi et consuetudine recepta, utpote « quæ est optima legum interpret, » l. XXXVII. ff. de Legib.

242. *Quomodo oretenus fieri possit, ac debeat testamentum coram principe.* — Et ex his facile colligitur secunda quæsitæ pars, videlicet quomodo testamentum principi offerri, aut coram eo fieri possit, ac debeat, videlicet, quod si testator testamentum nuncupativum condere coram principe cogitat, prius audientiam principis procurare (si est persona nobilis vel spectabilis) eaque procurata coram eo comparere, et coram duobus saltem testibus voluntatem suam ultimam oretenus indicare debeat: vel (si est persona plebeia, quæ ad præsentiam principis non facile admittitur, aut si nobilis, ad accedendum tamen ob infirmitatem impotens) debet per tertium, aut libellum supplicem rogare principem, ut unum, vel plures, qui ejusdem nomine voluntatem ultimam percipiant, deputare dignetur; ac dein deputato cum duobus testibus voluntatem suam manifestare, additis precibus, ut principis auctoritate sustineatur.

243. *Et quomodo in scriptis eidem offeratur.* — Si autem, quod melius, commodius, ac securius est, in scriptis voluntatem suam principi offerre intendit, scribat manu propria suam voluntatem, vel ab alio scriptam subscribat, simulque (principi tenorem testamenti manifestare non vult, uti non tenetur) sigillo claudat, et ita clausum vel ipsi principi, vel deputatis ab eo offerat, additis precibus, ut auctoritate principis sustineatur. Ubi tamen advertat, necesse est, ut, dum offert, vel duos testes adhibeat, vel *Recepisse*, sive attestationem oblatis principi testamenti obtineat, vel saltem subscriptionem principis in exteriori facie, juxta dicta n. 239. fieri curet, ad hoc, ut emergente dubio oblatio facta probari queat.

244. *Testamentum ad acta datum vel coram factum, quid? vocatur etiam giudiciale.* — Quæritur III. Quid et qualiter privilegiatum sit testamentum « ad acta datum, » seu, « apud acta factum? » Resp. I. « Testamentum ad acta datum, » vel « apud acta factum » est illud, quod factum, et in scripturam redactum, judici, vel deputatis ab eo testator offert; vel coram eodem aut deputatis ab eo oretenus facit. Ita in re communis. Patetque conclusio ex terminis: ubi solum notandum venit, quod sicut supra n. 233. Testamentum « principi oblatum, et coram eo factum »

sub eodem posuimus quæsitæ, ita modo testamentum « ad acta datum, » vel « apud acta factum » proponamus pariter sub eodem quæsitæ; eo quod sint ejusdem privilegii, passimque confundantur, et pro eodem sumantur; licet aliqualis sit diversitas; cum testamentum « ad acta datum » proprie sit, et dicatur illud, quod testator prius jam absque solemnitate factum, et in scripturam redactam, judici offert. Testamentum « apud acta factum » vero proprie fiat, sit, et dicatur, quando testator voluntatem suam coram iudice vel deputatis ab eo oretenus declarat, sicque declarando, coram eodem testamentum facit. Solet hoc testamentum alias communiter etiam vocari « testamentum giudiciale, » quia judici offertur, vel coram eo fit.

245. *Testamentum ad acta datum, potest fieri coram quovis iudice.* — Intelligitur autem hic per iudicem omnis ille, qui veram aliquam jurisdictionem habet, sive major sit; sive minor, sive iudicium penes integram communitatem, totum magistratum v. g. vel consilium; vel unum solum maneat: prout habet cum communi aliorum Lauterbach, Eckolt, Glettle, infra n. seq. citandi, arg. l. *Omnium*. 19. c. h. t. ibi: « Qui actis cujuscumque iudicis mentis suæ postremum publicavit iudicium. » Quamvis enim aliqui, inter quos est Berlich., p. 1. *Decis. aurear.* decis. 85. velint, testamentum coram solo iudice assessores, vel scabinos, vel saltem actuarium secum non habente, factum, nullo gaudere privilegio, nec dici, fieri ad acta, etiamsi iudex pro tribunali sedeat. arg. c. *xxviii. de Testib. et attestat.* Alii vero cum Carpzov., p. 3, constit. 3. defin. 17. docent tale testamentum dici, « fieri ad acta, » et esse privilegiatum, si coram iudice, pro tribunali sedente, non item, si coram eodem sine præsentia assessorum vel actuarii extra locum iudicii fiat.

246. *Etiam solo assessore, vel actuarium non habente.* — Tamen probabilior, iurique conformior sententia est, testamentum etiam coram solo iudice, nec assessores, nec actuarium secum habente, sive in loco iudicii, sive extra illud factum, vere dici « fieri, ad acta, » esseque privilegiatum: dummodo per duos saltem testes probari valeat, quod revera coram eo factum, vel eidem oblatum sit, juxta dicenda infra n. 257. et seqq. Eckolt., ff. *Qui Testam. facere poss.* § 8; Lauterbach., *de Testam. iudic.* n. 17; Glettle, in *Tract. canon. civil.* cap. III. §. 5. *de Testam.*

iudic. ac alii. Ratio est, quia ex nullo jure probari potest necessitas præsentiae assessoris, vel actuarii, eo quod l. *Omnium*. 19. c. h. t. præcise requiratur, ut fiat coram actis iudicis; acta autem censentur esse, ubi iudex, ut iudex iudicis officio fungens præsens est; uti ipsi fatentur adversarii juxta dicenda n. 252.

247. *Probatum ex praxi.* — Accedit praxis et consuetudo recepta, qua videmus, quod iudices particulares soli, tam in loco iudicii, quam extra illud apud ægrotum v. g. testamenta ad acta recipiant, solis adhibitis duobus testibus necessariis non ad ipsam formam, sed ad probandum factum. Et certe si solus iudex sine præsentia assessorem recipere non posset testamentum, aut personæ publicæ, pauci in oppidis, et pagis facere possent « testamenta ad acta, » eo quod ibidem iudices particulares sæpe nec assessorem, nec aliam personam publicam adjuvantem, sed a potiori unum privatum scribam habeant. Ad c. *xxviii. de Testib. et attest.* patebit infra n. 260 et 262. videlicet, quod, quia soli iudici non creditur, persona publica, vel saltem duo testes privati sint necessarii ad probandum testamentum revera fuisse ad acta traditum, non item ad formam testamenti.

248. *Potest etiam fieri coram iudice incompetente, id est, non habente jurisdictionem in testatorem.* — Porro ob textum l. *XIX. c. h. t.* « Actis cujuscumque iudicis » unanimiter concedunt doctores non requiri, ut iudici competentis, seu apud iudicem competentem, id est illum, sub cuius jurisdictione testator vivit, testamentum offeratur, aut fiat, sed sufficere, etsi coram incompetente, et alieno fiat, vel eidem offeratur. Ratio est, quia factio testamenti est voluntariæ jurisdictionis, Glossa, communiter recepta in l. *Testamenta*. §. *Solent.* c. h. t.; Berlich., loc. cit. concl. 4. n. 12; Carpz., loc. cit. Nec requiritur, ut iudici offeratur, aut coram eodem fiat, nisi quis ejusdem auctoritate illud sustineri desiderat; huiusmodi autem actus etiam coram iudice incompetente expediri queunt, l. *Data jori pridem*. 27. et l. *In hac*. 30. c. *de Donation.*

249. *Doctrina practica.* — Hinc valet testamentum, sive concilio aulico, sive regimini, sive magistratui, sive particulari loci præfecto, vel iudici offeratur, aut coram eisdem fiat. Item valet, si civis Frisingensis testator magistratui Monacensi, vel præfecto

Mospurgensi testamentum suum offerat, aut illud coram eis faciat. Pariter valet, si laicus apud iudicem ecclesiasticum, vel econtra clericus apud iudicem laicum testamentum suum deponat, vel coram eo id faciat; quia nempe dispositio seu factio testamenti apud acta, est voluntariæ jurisdictionis, indeque coram quovis iudice veram jurisdictionem habente (quales sunt enumerati) fieri potest. cit. l. *Omnium*. 19. c. h. t.

250. *Validum est testamentum ad acta, quod coram deputatis a iudice extra locum iudicii in domo testatoris v. g. fit.* — Imo valet testamentum, non solum, si apud aliquem ex præfatis iudicibus fit, vel deponitur, sed etiam, si eorum nomine deputatis offeratur, vel coram eisdem erigitur. Berlich., loc. cit., n. 10. et seqq.; Wessenbach, in *Comment. ad Tit. ff. Qui testam. facere*. n. 10; Struvius, *Exercit.* ad ff. 32; Thes., 9; Eckolt, ff. *Qui Testam. facere*. eod. Quod intellige, etiamsi apud tales deputatos non in loco iudicii, ubi acta existunt, sed in alio loco testamentum per testatorem deponatur, vel fiat, v. g. si testator domi suæ ægrotus decumbens, vel ob aliam causam, iudicem adire nequit, indeque eundem rogari facit, ut vel ipse veniat; vel aliquos suo nomine deputet, quorum suum testamentum ad acta suscipiant; Berlich., loc. cit.; Carpz., p. 3, constit. 3, definit. 16; Dauth., ad l. *Omnium*. 19, c. h. t. n. 4. et alii contra Vult., arg. l. *Curent magistratus*. 22. ff. *de Testib.* ibi: « Curent magistratus cujusque loci testari volentibus, et se ipsos, et alios testes, vel signatores præbere, quo facilius negotia explicentur, et probatio rerum salva sit. »

251. *Probatum ratione. Voluntariæ jurisdictionis actus, coram quovis iudice fieri possunt.* — Ratio est, quia juxta dicta n. 248. et communem aliorum, ipsumque Adversium Vult., consil. 34; n. 55; Salycet, l. *Omnium*. 19. c. h. t. factio testamenti est voluntariæ jurisdictionis, actus autem huiusmodi fieri potest coram iudice ubique locorum, et non tantum pro tribunali, sedente, vel in loco iudicii existente, sed ubique, arg. § *Servi vero*. 2. Instit. *de Libertin.* l. II. ff. *de Offic. proconsul.* ibi: « Omnes proconsules, statim quam urbem ingressi fuerint, habent jurisdictionem, non contentiosam, sed voluntariam, » etc. Concordant, l. *Actus*. 8. c. *de Ferriis*. l. I. c. *de Emancip.* lib. VII. et VIII. ff. *de Manumissi vindicta*.

252. *Acta ibi esse dicuntur, ubi aliquid fit*

auctoritate iudicis. — Confirmatur ex eo, quod ibi intelligantur esse acta, ubi aliquid sive in loco iudicii, sive extra illum fit auctoritate iudicis, arg. l. *An apud se.* 5. ff. de *Manumiss. vindict.*; Carpz., loc. cit. defin. 16; Berlich, loc. cit. n. 11; Jason, in l. *Is, apud quem.* n. 4. c. de *Edend.* et alii; consequenter apud acta, vel coram actis fieri videtur, quod coram iudice, vel deputatis ab eo, quocumque tandem in loco peragitur.

253. *Confirmatur praxi.* — Accedit praxis communis, et consuetudo recepta, quæ est optima legum interpret. l. XXXVII. ff. de *Legib.*; videmus enim ubique practicari, quod pro testamento « ad acta dato, » vel « coram actis facto » revera habeatur illud, quod ægrotus locum iudicii accedere non valens, coram iudice ad se vocato, vel coram deputatis ab eo facit, aut in scriptis jam factum eisdem tradit. Et merito, quia alias ægrotis per leges satis consultum non esset; utpote qui testamenta ad acta dare, vel coram eis facere nunquam possent; cum tamen testamenta plurima ab ægrotis fiant.

254. *Solvitur objectio.* — Dices cum Vult., loc. cit. ad hoc, ut testamentum ad acta dari vel apud acta fieri dicatur, non sufficit, ut iudici offeratur, et coram illo fiat, sed etiam necesse est, ut in loco, ubi iudicii acta asservantur, id fiat, l. *Omnium.* 19. c. h. t. ibi: « Si actis cujuscunque iudicis publicavit, » et l. *Sancimus.* 27. c. eod. ibi: « Si inter acta manifestaverit: » ergo extra locum iudicii in domo ægroti v. g. testamentum ad acta dari vel fieri non potest; eo quod secundum proprietatem verborum, vulgatumque modum loquendi, qui utique attendi debet, nemo apud acta iudicii quid facere dici possit, quod domi suæ peragit. Resp. negando antecedens ob rationem supra n. 252. jam insinuatam. Ad rationem pariter negatur, quod juxta vulgatum modum loquendi apud acta fieri non dicatur, quod coram iudice fit: quamvis enim apud acta quid facere quis dici non possit, quod domi suæ absque præsentia iudicis facit; secus tamen est, si idem in præsentia iudicis ad id vocati, et officio iudicis fungentis fiat. Berlich, loc. cit. n. 13.

255. *Ut rite fiat testamentum coram iudice, debet is requiri.* — Notandum tamen, ad hoc, ut testamentum extra locum coram iudice ordinario, vel delegato valeat, necesse esse, quod iudex a testatore sit prius rogatus, vel requisitus, prout bene advertit cum communi

aliorum. Berlich, cit. concl. 4. n. 17; Schmidt, ad tit. XXXIV. a. 10. n. 33, et alii ut proin testamentum coram iudice non requisito, sed ex alia causa, præsentem factum, non valeat, nisi prius ibidem etiam requiratur, et ut, auctoritate iudicis adesse velit, imploretur.

256. *Testamentum ad acta datum valet absque omni solemnitate.* — Resp. II. Ad valorem testamenti ad acta dati, vel coram actis facti sive in loco iudicii, sive extra illud fiat, nec testis, nec alia requiritur juris civilis solemnitas; dummodo alias legitime constet, et probari possit, testamentum revera ad acta fuisse datum. Carpz., p. 3, constit. 3, defin. 11. et 13; Berlich, concl. 4. n. 4.; Dauth, in l. *Omnium.* c. h. t. n. 2. et 3; Jason, ibid. n. 15. ubi plures rationes affert, et contrarias solvit; Mynsing, cent. 6. Observ. 29; Tuschus, litt. T. concl. 122. n. 69. et seqq. cum communi aliorum, arg. l. *Omnium.* 19. c. h. t. ubi testamentum ad acta, et testamentum principi oblatum in ratione privilegii æquiparantur; testamentum autem principi oblatum absque ullo teste, et solemnitate valere concedunt omnes, juxta dicta n. 237. et l. *Sancimus.* 27. c. h. t. ubi id, quod apud acta fuit manifestatum, meretur æqualem fidem cum eo, quod per testes invenitur probatum: id ipsum etiam in l. *Omnium.* c. h. t. habetur, ubi testamentum apud acta depositum, seu ibidem factum, in valore æquiparatur testamento cum ordinaria solemnitate condito. Ratio est, quia in testamentis ad acta auctoritas iudicis requisitas solemnitates supplet, imo superat, l. *Omnium.* 19. et l. *Sancimus.* 27. c. h. t. ut proin merito dicatur. l. *In donationibus.* 31. c. « De donationibus superfluum est testimonium privatorum, cum publica monumenta sufficiant. » ubi propterea etiam statuitur, « in donationibus, quæ actis insinuantur, non esse necessarium, vicinos, vel alios testes adhibere. » Addunt alii communiter etiam hanc rationem, quod, ubi acta sunt, ibi semper censeatur etiam copia hominum esse. Verum quia hæc ratio non in omni testamento ad acta procedit; cum in testamento ab ægrotato domi suæ condito loco non habeat, probationis loco hic non additur.

257. *Dummodo aliunde constet, quod revera datum sit ad acta.* — Dicitur autem notanter in conclusione: « dummodo alias legitime constet, et probari possit, » testamentum ad acta fuisse revera datum, aut coram eis fac-

tum. Nam sicut supra n. 238. de testamento principi oblato diximus, quod licet ad ejus valorem nulla requiratur solemnitas, nullusque necessarius sit testis, ob legem, et rationem ibidem allatam; tamen alias debeat legitime constare, vel probari, quod testamentum principi revera oblatum sit, sic idem modo de testamentis ad acta dicimus. Quomodo autem constare, vel probari sufficienter possit, aut debeat, patebit ex sequentibus conclusionibus.

258. *Testamentum in loco iudicii coram iudice, in communitate consistente factum, non requirit testes, ad probandum, quod sit ad acta datum.* — Resp. III. Si testamentum in loco iudicii fit coram iudice, vel in eodem loco offertur iudici in communitate consistenti, ita ut iudicium et jurisdictio sit penes illam v. g. magistratum, concilium, regimen, etc. tunc neque ad probandum, quod testamentum ad acta datum, vel coram eis sit factum requiruntur testes, vel alia solemnitas, aut probatio. Omnes. Ratio est, quia in tali casu sufficientissime jam constat de veritate; cum membra hujuscemodi communitatis eminenter sint testes, consequenter inter vulgare illud juris. l. *In donationibus.* 31. c. « de donationibus superfluum est testimonium privatorum, cum publica monumenta sufficiant. » Accedit praxis et consuetudo « optima legum interpret, » l. 37. ff. de *Legib.* Cum ubique videamus testamenta coram tali communitate, magistratu v. g. facta, vel eidem oblata, pro validis haberi, etsi nullus adhibitus fuerit testis.

259. *Idem est, si fit extra locum iudicii coram aliquibus deputatis.* — Resp. IV. Si testamentum extra locum iudicii v. g. in domo testatoris ægroti coram aliquibus ex tali communitate fit, vel eisdem ibidem offertur, rursus valet absque omni teste alio adhibito. Carpz., p. 3. constit. 3. defin. 12; Schmidt, ad tit. XXXIV. a. 10. n. 36; Berlich, p. 3, concl. 4. n. 13. et seqq. cum communi aliorum, ob rationem, et legem in præced. conclus. allatam. Quibus etiam accedit consuetudo, qua constat, quod testamenta, quæ in his partibus, coram deputatis duobus ex magistratu, et actuario, vel secretario, aut registratore fiunt, vel quæ eidem ab ægrotato offeruntur, pro validis absque omni controversia agnoscantur. Quotnam autem deputati esse debeant, dicitur n. seq.

260. *Sufficit autem, quod duo ex communitate deputentur etiam sine actuario: vel unus*

cum actuario. — Resp. V. Ad hoc, ut testamentum ad acta dari, vel coram eis etiam extra locum iudicii fieri dicatur, et absque aliis testibus valeat; sufficit, duos deputare ex communitate jurisdictionem habente, vel unum cum persona alia v. g. notario publico, vel publico actuario, « Marck oder Stadt Schreiber, » vel secretario. Quod duo de communitate sufficiant, concedunt communiter, uti videre est apud Carpz., p. 3, constit. 3, defin. 17; Berlich, loc. cit. concl. 4. n. 15. Quod vero sufficiat unus ex communitate una cum persona publica deputatus, Wessembach, in *Comment. ff. Qui testament. facere.* n. 2. cum aliis contra Carpz., loc. cit. defin. 18. et Berlich, loc. cit. n. 16. Probatum autem manifeste ex c. *xxviii. de Test. et attestat.* ubi expresse statuitur, quod ad hoc ut iudici fides adhibeatur, sufficiat, si secum habet aliquam personam publicam. Nec obstat, quod Carpz., loc. cit. defin. 18. objicit, nempe actuarium v. g. vel aliam similem personam publicam non esse membra communitatis iudicem representatis, l. *Universos.* 15. c. de *Decurion.* Nam contra est, quod necesse non sit, ut duo ex communitate simili deputentur; cum uni soli jurisdictio deputari possit, et persona publica addatur præcise, ut absque suspitione fraudis fidem mereatur delegatus.

261. *Vel unus sine actuario, adhibitis tamen duobus testibus.* — Inferitur proin, quod quamvis securius sit, ut duo ex communitate una cum secretario, vel actuario, « Stadt oder Mark-Schreiber » deputentur, ut laudabilis habet consuetudo, tamen etiam sufficeret, si unus solus v. g. cancellarius, consiliarius, consul, etc. una cum persona publica mitteretur; vel si solus mittitur, si duo testes privati adhiberentur, arg. cit. c. *xxviii. de Test. et attestat.*

262. *Si testamentum coram iudice particulari personam publicam, vel assessores non habente fiat, debent adhiberi duo testes. Iudici soli non creditur.* — Resp. VI. Si testamentum fiat coram iudice, qui solus absque communitate jurisdictionem exercet, nec assessores, nec scabinos, vel aliam personam publicam, v. g. notarium publicum, vel actuarium juratum, « Gericht-Stadt-oder Marck-Schreiber » secum habet, vel si eidem soli offertur, requiruntur saltem duo testes, non quidem ad valorem et formam testamenti, sed ad probandum, quod testamentum ad acta revera datum, et coram eis factum sit;